

FACULTATIS MEDICAE
IN
ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA
DECANVS,
WILHELM. HVLDERICVS

Baldtschmiedt /

MED. DOCTOR, EIVSDEMQUE PROFESSOR PRIMARIVS,
PHILOS. EXPERIM. ORDINARIVS, ACAD. PRO-RECTOR,
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE
HOMINIS ORTV ET GENE-
RATIONE,

NOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI CANDIDATI,
CHRISTIANI FRIDERICI FALCKII,

AD D. XVIII. OCTOBR. HORIS ANTE ET
POMERIDIANIS,

IN AVDITORIO MAIORE,
MORE CONSVETO HABENDAM,
INTIMAT,

ET AD ACTVM HVNC PVBLICVM
MAGNIFICVM DOMINVM PRO-CANCELLARIVM, ET
PROCERES ACADEMIAE RELIQVOS, ET LITERARVM
FAVTORES ALIOS,
CIVESQVE ACADEMICOS,
OFFICIOSE ET PERHVMANITER
INVITAT.

KILIAE,
TYPIS BARTHOLDI REVTHERI, ACAD. TYPOG. MDCXX.

Geologia.
501,65

generatio Copidum.



Generationis natura eiusque ordo adeo admirabilis est plane & diuinus, supra quam quispiam cogitatione capere, aut mente complecti possit, inquit Harueus (a). Cum enim res naturales ex principio inuisibili; atque adeo ex minimis, quae sensibus obuia non sunt, ortum suum ducant, origines earundem obscurae admodum sunt, circa quas in sententias diuersissimas abeunt Philosophi. Atque haec opinionum varietas, & difficultas circa ipsum mineralium ortum, corporum licet simplicissimorum, & in quibus exiguus adest vel nullus plane organorum apparatus, satis est euidentis: Omnis vero circa rem istam dissensus, ad duas potissimum classes, mea quidem sententia referri potest, eorum scilicet, qui metalla immediate creata esse, cum Cartesio statuunt, & eorum, qui quotidie in terrae visceribus illa generari volunt. Docebat quippe Magnus hicce Philosophus, metalla, corporum omnium grauissima, in prima creatione, terrae centrum occupasse, vnde id ipsum metallicum prorsus esse statuit: resolui vero deinde corpora haec durissima vel per Mercurium, vel succos minerales acidos, atque cum exhalationibus metallo impraegnatis & grauidis, calore ignis subterranei eleuari, & per terrae poros ad extimam eius superficiem ferri, & in venas metallicas concrecere. Rectius autem sentire videntur illi, qui, quamuis concedant, interiorem & centram terrae partem metallicam forte esse posse, generari tamen in hac superiore eius regione ipsa metalla existimant, & quidem ex suis seminibus, sulphure & Mercurio, non Philosophorum, sed vulgaribus, diuersimode mixtis & fixatis, id quod obseruationes plurimae, in ipsis mineris saepius occurrentes satis confirmant (b), recentiorumque experimenta ad oculum quasi demonstrant. Quin & ipsi lapides per modum quendam generationis produci vix dubitauerim, & alios quidem ex fluido principio, in perfectam soliditatem concrecere ostendunt crystallus, gemmae: alii vero opaci ex particularum terrestrium, arenosarum, limosarum, glutinosarum coalitu originem suam habent, & vel in aquis, vel terrae superficie, vel in huius visceribus germinant & incrementum capiunt. Loquuntur id ipsum, velut tot testes muti, gibbosae camporum nostrorum eminentiae, magno agmine in incultis eorum locis hinc inde conspicuae; talparum operas diceret, sed aliud suadet accuratio eorum inquisitio: sunt enim lapides arenosi, in terra geniti, successi-

(a) Exercitat. 70. 1. (b) Boyle Chemist. Scept. pag. 6.

cessiue accrescentes, moleque sua terram in gibbum attollentes, donec eam perfodiant & caput exserant.

Maiorem vero generationis lapidum certitudinem praebent lapides figurati, tam illi, quibus figura ex typo quodam in quo efformantur, inprimitur, quam quorum singulae species figuram toti generi communem, citra impressionem eiusmodi foris & externe factam constantè seruant: de Echinitis, vero perquam est simile, efformari illos in echinis marinis ex materia seminali liquida, in siliceam postmodum duritiem concrecente, & figuram impressam pertinacius seruante; id quod inter alia satis euidentis fit, ex crystallina ista congerie, intra lapides hosce nonnunquam conspicua, cuius rei insigne exemplar possidet D. Doctor Kruysingius, Facultatis nostrae Assessor dignissimus, & Lubecensium insigne decus. Plura de genesi echinitarum peculiari scheldiasmate tradit Iacobus a Mellen, Theologus eiusdem Reipublicae, & rerum naturalium ac Antiquitatum inquisitor celeberrimus (c), cui tamen nī fallor, dubium quoddam mouet, absentia echinorum marinorum in mari Baltico Wagriam alluente, circa cuius oras Echinitae in magna reperiuntur copia; hoc tamen non adeo magni habendum esse arbitror: certum enim est Echinos pisces, incolas esse huius maris, & ex eo quandoque extrahi, & insigne eorum quoddam exemplar in portu nostro Kiliense captum, inter rariora quaedam repositum ostendere possum.

Ceterum & alii lapides, quorum typos forte nondum de-
regere potuit hominum industria, aut qui iis prorsus carent, si
figura eorundem sibi semper similis videtur, non sine ratione nobis
persuadent, & semen sibi habere peculiare, liquidumque illud
fuisse, instar materiae seminalis plurium plantarum marinarum,
vt de fungis marinis, fungo saxeo Nili maiore, & alio, quem mi-
tram Neptuni vocant, similibusque affirmat curiosus naturae per-
scrutator Tournefortius. (d) Imo lapides alii plures quorum ge-
neratio aliter explicari nequit, nisi statuamus prouenire eos ex suo
semine aut germine, in quo latent partes organicae & prima speciei
rudimenta, quemadmodum in plantarum seminibus obseruamus,
sua habere semia, extra omnem est controuersiam. Hoc modo
quam maxime est probabile, Ammonis cornua, lapidis cuiusdam fi-
gurati speciem, in conchae volutae modum contortam, & figuram
hancce constantissime seruantem, oriri ex germine, cui prima
structurae istius delineatio & rudimentum inhaeret, cum typl
talis ne vllum quidem vestigium, etiam in locis, vbi cornua haec
copiose colliguntur, inuenire liceat, vt de Prouincia Galliae,
a 2 Pi-

(c) De Echinitis Wagricis. (d) Hist. de l'Acad. des Scienc. A. 1708. p. 40.

& Pictavia obseruauit idem, quem modo laudauit Tournefortius. (e) Simile quid affirmandum est de lapide, quem vocant Iudaico, bufonite, & oculis serpentum, aetite, lyncisque lapide aut lyncurio, magno numero in littore nostro reperiundo, testimonio perquam euidenti, nec ex lyncis vrina eum generari, id quod veteribus nonnullis placuit: nec a typo quodam figuram suam habere, cum & ipsum animal, & talis typus terris his prorsus sint ignoti.

Magnus vero ille Peirescius primus forte fuit, cui haec lapidum generatio ex suis seminibus in mentem venit, ita enim de eo loquitur Gassendus (f): non fuisse eum in ea sententia, vt existimaret omnes lapides ab initio mundi fuisse formatos: sed voluit temporis progressu plerosque ita fieri, vt singuli originem debeant suae materiei, propriisque seminibus; configurationem vero partim ad naturam, partim ad casum referant acceptam. Et alibi (g) haec de illo habet: solitus erat se per aestatem abluere in minori Rhodani alueo, qui est Barthalasseae Insulae ad ortum, & in quem se Sorga fluuiolus exonerat. Deprehendit autem aliquando fundum, quod alias aequabile & molliusculum obseruarat, induruisse in globulos, moleculasue, qualia oua sunt, cortice detracto, vbi coctiora fuerint. Id demiratus, & collegit & detulit aliquot domum, vt praeceptoris ostenderet & facti causam sciscitaretur. Miraculum vero adauctum, vbi post dies non ita multos, cum rediisset ad fluuium,prehendit moleculas induruisse plane in fluuiatiles lapides, idemque etiam obseruauit contigisse iis, quas asseruabat repositas domi.

Atque haec sententia nec a ratione prorsus aliena, vel nudius tertius saltem excogitata cuiquam videri debet, siquidem vt placet Tournefortio, non vsque adeo a vero alienum esse potest, si statuamus, semen istud speciem quandem esse pulueris subtilissimi, a lapidibus aequae ac metallis, eo tempore quando adhuc viuunt, id est crescunt, oriundam, cuius exilitas nihil obstat, quo minus pro vero semine haberi possit: in vegetabilibus enim aequae ac animalibus semina capillarum, filicis, muscorum & similia, vt & ouula piscium exilissima, pro vero semine agnoscimus, in quo prima plantae aut animalis delineatio jaceat, quicquid fiat de eorum paruitate: constat enim ex ouulo piscis, vnicornu marinum aut narual dicti, quartam lineae partem vix aequante, piscem oriri, cuius deinde longitudo ad viginti pedes sese extendit. (h) Verustatem autem huius asserti si aestimare placeat, Plinius

Mutia-

(e) l. c. Ann. 1702. p. 238. (f) In vita eius pag. 346. (g) l. c. pag. 24. (h) l. c. pag. 31.

Mutianum quendam, & Theophrastum nominat, quibus placuerit, generari lapides ex lapidibus; (i) & Gregorius Nazianzenus asserit, fuisse autores quosdam, quibus visum fuerit, lapides ipsos communi flagrare amore, eiusdemque instinctum sequi. (k)

Quin & corporibus aliis, propter sui duritiem mineralibus, sed propter certiora vestigia vegetationis, ipsis vegetabilibus annumeratis, certa sua esse semina nemo negabit, cui corallorum historia satis nota est. De his affirmat Bocconus, Monachus Siculus, ordinis Cisterciensis, propter indefessum naturae studium alter Plinius dictus, semen eorum substantiam esse lacti similem, sapore piperis, quemadmodum alias vegetabilium semina succo tali lacteo turgent. (l) Et porro, oriri corallia per continuam partis ad partem appositionem, quando humor iste seminalis, intra capsulam a natura eum in finem productam, effunditur & coagulatur: ita corallia non solum, ut nucleum in cortice, sed hippurim etiam saxeam Clusii, & plantam marinam petrefactam aliam in vesicaria marina tanquam suo typo productam, & bucarditas quoque, in conchis bucardiis ex suo semine produci docet (m)

Quamuis vero satis bene haec sese habeant, rectius tamen & longe accuratius, corallii germinatio observata est Comiti Marsilio, quando memorabili in Botanica marina fato, anno huius seculi septimo, flores eius detexit: omnes colore albicante nitent, octopetali vel octo foliis praediti, quorum singuli pediculo insident, magnitudine caryophilli aromatici, magno agmine in planta haerentes, & e singulis corticis tubulis prodeuntes: in hos vero se in momento retrahunt, quando planta aquis extrahitur, reflorescit autem eadem, aquis denuo immissa intra horae spatium, & nonnunquam per duodecim dies viget haec florum alterna apparentia & fuga, donec illi formam sumant exiguae pilulae, coloris flavi & in fundum aquae decidant. (n) Ecquis non videt grantula haecce externa forma, plantarum seminibus exacte respondere, ut ut apertio eorundem contrarium docuisse videatur, nihil enim continebant aliud, nisi succum quendam lentum, glutinosum, ei similem, quem in Corallii cortice observarunt; Nihilominus vero quam maxime fit simile, vel semen eorundem in alia floris decidui parte quaerendum esse, aut haerere in istis globulis & contento liquore vim germinandi, cum Theophrastus ille Eresius quam saepissime loquatur de floribus plantarum marinarum, in quibus tamen semina, propter multas causas difficulter inueniri possunt. (o) Quod si certum sit, naturam in similibus effectibus

a ;

pristina

(i) H. N. Lib. 36. Cap. 18. (k) Poëm: de virg. (l) obs. p. 55. (m) l. c. p. 63. (n) Hist. de l'Acad. des Sciens. Ann. 1710. pag. 100. (o) hist. plant. l. 4.

pristina semper, usitata & aequali incedere via, ecquis dubitabit, aut plane negabit, adesse eiusmodi semina, licet non conspiciantur, qualia in aliis eiusdem generis obseruantur: certe oliva marina fructus est algae angustifoliae C. B. obseruante Cestonio Liburniensi Pharmacopaeo: (p) immo multae plantae terrestres suo semine probabiliter non carent, quamuis illud omnem sensum fugiat; siquidem exilissima illa granula, quae in latere lenticulae palustris latifoliae punctatae conspiciuntur, puluisculum continent magis subtilem, quam sulphuris flores: similis inhaeret capsulis musci clauati terrestri; muscisque & lichenibus aliis plurimis, quorum omnium tanta est subtilitas, vt particulae eorundem aquis permixtae plane dispareant. Mirum igitur non est, si credamus dari liquida, in quibus semina mineralium, & plantarum marinarum soluta, oculorum aciem deludunt.

De vegetabilium genesi, ad quam occasione plantarum marinarum insensibiliter accessimus, eorundemque origine satis constat, nec tanta eget prolixitate modi istius, quo ex suis seminibus prodeunt, descriptio: suppono autem omne illud, quicquid generatur, oriri ex suo semine, omnemque generationem esse vniuocam, nullam aequiuocam, aut ex sola putredine factam, & propterea omnibus plantis inesse sua semina, propagationi speciei inferuentia: hinc in perfectioribus insignis conspicitur organorum apparatus, ad seminis generationem & totum generationis negotium efformatus. Et quidem in floribus, diuersissimis coloribus pictis, partes operi huic destinatas, accuratioribus rerum harum examinatore iam pridem reperire datum est, maximaque analogia ortus plantarum, cum eo qui est animalium ipsis innotuit.

Scilicet, quemadmodum in animalibus, ad propagationem sui similis semen generatur, ita plantae proprium sibi etiam habent semen, atque illo vi benedictionis diuinae multiplicantur; illudque ipsum semen, nihil aliud esse videtur, quam ouulum quoddam, singulis sui partibus ouo animalis respondens: (q) sola differentia in eo posita erat, vt haec, non nisi a semine masculino impraegnata, foecunda fierent, illa vero absque tali, proliferare esse haecenus creditum sit. Nehemias vero Grewius, Medicus Anglicus, primus forte est, qui sexus diuersitatem in plantis obseruauit. (r) Accuratori quippe scrutinio & Anatomiae plantarum intento, ex intimiore floris, partiumque eius contemplatione statim suboluit, non frustra, aut ad seminis custodiam tantum, aut praeparandum eius alimentum, aut exhalandam humiditatem superfluum, facta esse haec omnia; quin potius, quae tanto conatu a natura

(p) In Galleria della Minerva. (q) Rolinc. de vegetab. pag. 11. (r) Anat. veget.

natura enormata apparebant, digniore prorsus habenda esse loco, vsumque obtinere multo nobiliorem; nempe foecunditatis gratia ea facta esse, vt tandem renouatis seminalibus organis, nouus progignatur foetus. (s) Quo quidem tramite diuersum semen & vtrumque sexum facile fuit inuenire, quorum vtrumque in plerisque plantis simul, & coniunctum, in aliis separatum apparuit, ita, vt concursum vtriusque seminis etiam in plantis, ad foecunditatem plane necessarium esse, probatum satis dederint inter recentiores, post Grewium Morlandus Anglus, (t) Camerarius Tubingensis (u) & post illos egomet ipse, in peculiari dissertatione, (v) quo lectorem hac vice remittere cogor. Edidit deinde de plantarum propagatione, maxime capillarium & muscorum dissertationem epistolarem, illustri Schroeckio mihiq; inscriptam, (w) Ioh. Iacob. Dillenius Medicinae Licentiatus & Practicus apud Giessenses celeberrimus, vir egregie doctus, & in Botanicis versatissimus, in qua, vt & in altera (x) ad celeberrimum Camerarium perscripta epistola, sexus istam diuersitatem in perfectioribus plantis admittere videtur, simile vero quid, imo omne forte semen imperfectioribus plane denegat, doctissimis vsus argumentis, multa experientia in diuersis talium speciebus acquisitis; sed vt verum fatear, nondum iis corrui eorum sententia, qui generationem saltem vniuocam vndique admittunt, & cunctis adeo plantis sua semina tribuunt: nec illa etiam, quae de plantarum sexu obseruata sunt, cuius quidem generis obseruationes plurimae post primam istam dissertationem a me collectae sunt, alia occasione cum Viro celeberrimo communicandae.

Nuspiam vero alibi, quam in animalium, & praesertim hominis fabrica omnipotens Creator in operibus suis aut manifestius conspicitur, aut praesentius eius numen adest, ut loquitur Harveus (y): magna sane hic sunt omnia, admiramur summi Conditoris sapientiam, cui talia naturae indere placuit, quae sine eius voluntate & benedictione, irrita forent & impossibilia. Huius, & praesertim hominis generationis mysteria pandere placuit, Nobilissimo & Praeclarissimo Candidato, CHRISTIANO FRIDERICO FALCKIO, de cuius vita & studiis, pro more in Facultate recepto aliqua hic addenda sunt. Primam ei lucem dedit Berolinum, Regia sede & aedificiorum magnificentia illustre, Anno superioris seculi nonagesimo sexto, decimo Martii die. Patrem nactus

(s) *Malpigh. Anat. plant. Tom. I. p. 40.* (t) *Aët. phil. n. 287. 1703.* (u) *Eph. D. 3. ann. 3. app. p. 33.* (v) *De sexu eiusdem plantae gemino.* (w) *Ephem. N. C. Cent. V. & VI. App. 1.* (x) *l. c. pag. 71.* (y) *Exercitat. 49. pag. 276.*

nactus est Virum Nobilissimum & experientissimum, Christianum Falckium, artis Medicae Doctorem famigeratissimum, nunc Practicum apud Hamburgenses felicissimum: matrem Theodoram Fribin. Annum agens quartum, cum dilectissimis parentibus, patriam istam eius cum celeberrimo Germaniae emporio mutantibus, Hamburgum petiit, ibidemque crescentibus sensim annis, ductu Rosavii & Teurkaufii, priuatos inter parietes, tum pietatis, tum humaniorum literarum prima iecit fundamenta, donec in tantum adolefceret ingenium, vt ad collegia & studia altioris indaginis subeunda capax iudicaretur. Insignem itaque vt animum in Anatomicis adhuc rudem imbuerent, Viri doctissimi, Wichers Medicinae Doctor, anno huius seculi XI. & Gertmannus eiusdem artis Doctor & Anatomicus peritissimus, anno XII. eiusdem seculi nauarunt operam, cuius posterioris sinceram informationem anno subsequente XIII. in docendis physicis tandem expertus est noster, donec fato cedere, summo cum discipuli moerore, cogeretur vir longiore vita dignus. Vulnus hocce sibi inflicto, vix satis laudandae Fabricii eloquentiae, Mulleri Physices, Edzardi Logices, Mentzeri matheos Doctorum aequae ac Professorum Gymnasii Hamburgensis longe celeberrimorum diligentia largiter refarciuit. Lipsia deinde cum sinu suo fouit, nutriitque aliquamdiu, donec ampliorem excolendi studii Medici occasionem Lugdunum Batauorum Anno Seculi XVI. dederit. In hoc enim artium liberalium & praesertim Medicinae celeberrimo Emporio, Viris non sine insigni encomio nominandis, Boerhauius in Botanicis, Theoreticis, Practicis, Chemicis, Deckero & Albino in Practicis & Materia Medica; Rauio in Anatomicis; s' Grauesandio in Physicis vsus est Praeceptoribus. Accessit deinde hanc nostram Academiam, & postquam aliquamdiu in ea vixit, & Professoribus eius longe celeberrimis innotuit, eximium eorundem candorem, doctrinam, humanitatem publice laudat, eorundemque memoriam grato in pectore semper seruabit. Nomen vero Facultati Medicae haud ita pridem per literas dedit, & ad examina consueta admitti petiit, & postquam priuata summa cum laude sustinuit, dignus nobis est visus, qui ad publicum examen admitteretur. Huic actui Solemni, cum destinatus sit proximus dies Veneris, XVIII. Octobris, Magificum D. Procancellarium, & Senatum Academicum Amplissimum, vna cum aliis Literatorum & literarum Fautoribus, Cives etiam Academiae generosos & nobilissimos, ea, quae par est obseruantia & humanitate invito. P. P. Kiliae Holsatorum Dominic. XX. post Trinit. MDCCXX. sub Sigillo Facultatis.